



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118863**

§. 107. Quidam ex FF. Prædicatorum Ordine Scriptores hoc anno defuncti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

Sæc. XVII.  
A. C. 1625.

§. CVII.

*Quidam ex FF. Prædicatorum Ordine Scriptores hoc anno defuncti.*

*Echard  
Script. Ord.  
FF. Præd.*

Celeberrimus, totoque Orbe gloriæ diffusus FF. Prædicatorum Ordinis pariter hoc anno Scriptorum pietate & eruditione clarissimorum obitum planxerat, hos inter primus occurrit Hieronymus Baptista de la Nuzã ex nobilissima Sellanorum gente in Arragonia natus. Hic Sancti Ludovici Bertrandi Magisterio feliciter usus, incertum, an sanctiora virtutum præcepta, vel profundiorum Theologiæ, sacrarumque literarum eruditionem hauserit: postquam enim per plures annos tam inter suos, quam in Cæsar augustana Universitate Sacræ Scripturæ Cathedram moderaretur, ac præcipuis Ordinis sui Officiis præpositus esset, Episcopus Balbastrensis a Philippo III. Hispaniarum Rege nominatus, ac sexto post anno ad Albaracinensem Ecclesiam translatus est, quo in munere perfectissimum virtutum omnium gregi suo se præbens exemplum, cum magna sanctitatis opinione die decima quinta Decembris annos natus septuaginta duos decessit, cujus corpus etsi calce obrutum, omnino incorruptum, colore nihil



immutato, membrisque flexibilibus ac  
 venis ipsis apparentibus, suavique o-  
 dore flagrans repertum est. Sæc. XVII.  
A. C. 1625. Scripsit  
 septem tractatus Evangelicos Antver-  
 piæ excusos præter Homilias supra  
 Evangelia quatuor tomis comprehen-  
 sas, aliamque Homiliam in Evange-  
 lium, quod in festo Corporis Christi  
 legitur: Exstat quoque illius libellus  
 supplex ad Philippum III. Hispaniarum  
 Regem contra Societatis Professores,  
 qui totis viribus efficere nitebantur, ne  
 sententia Divi Augustini de gratia per  
 se efficaci a Fratibus Prædicatoribus  
 in publica Universitate propugnaretur.  
 Edidit quoque alium libellum suppli-  
 cem ad Paulum V. Papam, quem ad  
 vulgandam definitionem controversiæ  
 de Auxiliis sollicitabat. Alter erat  
 Petrus Calvus Lusitanus, qui itidem  
 homilias totius anni, necnon duos to-  
 mos Homiliarum pro quadragesima scri-  
 psit, præter defensionem Sacrarum Re-  
 ligionum. Huic accedit P. Balthasar  
 Navarrete Hispanus, qui tres tomos  
 controversiarum in Divi Thomæ, ejus-  
 que Scholæ defensionem Vallisoleti e-  
 didit. Scripsit quoque P. Blasius Verdu  
 a Sans patria Catinensis resolutas quæ-  
 stiones de SS. Trinitate, necnon rele-  
 ctiones contra scientiam mediam pro  
 efficacia divinorum auxiliorum præter  
 plura



Sæc. XVII. plura alia tam Historica, quam Ascetica, & Philosophica opuscula Barcinone edita. Pariter ex fructibus Evangelici sui laboris, quo barbaris in America septentrionali & meridionali, atque in Provinciis Hispano imperio subiectis Evangelium annuntiabat, prodiit elegans ipsius liber de *Prædicatione Evangelii in novo Orbe ab adventu Apostolorum, necnon de Monarchia Peruvana præter originem Indorum in novo orbe & Indiis Occidentalibus*. Non minus celebratur Joannis Fernandez Aragonii commentarius Romæ impressus in librum Ecclesiastes, in quo vulgata ad verbum [cum textu Hebraico confertur, eamque omnes alias versiones excellere comprobatur. His adjicimus Josephum a S. Maria Lusitanum & Petrum Locatellum, quorum prior librum de libero arbitrio, posterior commentaria in Divum Thomam, & sermones varios edidit.

## §. CVIII.

*Decessus Ferrarii & Fariasi ex Ordine Carmelitarum.*

*Bibl. Script. Carmel.* Ex Ordine Carmelitarum plures hoc anno decessere editis lucubrationibus clari, ex quibus præcipue emittit Cherubinus Ferrarius Mediolanensis, Gui-